

linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat. Multum movet, non verborum, sed rerum avidum: & multum terret, factura securum. Præcipuè Apostolorum linguas exhortor ut legas, ex his enim ad cognoscendos Prophetas excitaberis, quorum testimoniis utuntur Apostoli. Si quid autem vel cum legis, vel cum cogitas tibi oritur quæstionis, in quo dissolvendo videar necessarius, scribe ut rescribam. Magis enim hoc fortè Domino adjuvante potero, quàm præsens talia loqui tecum, non solum propter occupationes varias & meas & tuas (quoniam non cum mihi vacat, occurrit ut & tibi vacet) verum etiam propter eorum irruentem præsentiam, qui plerumque non sunt apti tali negotio, magisque linguæ certaminibus, quàm scientiæ luminibus delectantur: quod autem scriptum habetur, semper vacat ad legendum, cum vacat legenti: nec onerosum fit præsens, quod cum voles sumitur, cum voles ponitur.



AD-

* * * * *

ADMONITIO

IN LIBROS

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Exegeticis opusculis, quæ Tomus hic tertius complectitur, præfigendos curavimus libros De Doctrina Christiana, quorum videlicet argumentum eo pertinet, ut ad sacrarum Scripturarum intelligentiam, & tractationem necessariis quibusdam documentis & præceptis imbuamur. Opus pro rei dignitate studiosè elaboratum, nec profectò indignum, cui locus in Bibliorum limine cum Hieronymianis præfationibus concedatur. Id suscepto non ita pridem episcopatu, sicuti ex Retractationum serie intelligimus, id est, sub Christi annum trecentessimonagesimum-septimum inchoaverat Augustinus, & cum ad eam dumtaxat libri tertii partem, cui numerica nota 36. nunc præfigitur, perduxisset, impedire non potuit quo minùs continuò prodiret in publicum: quandoquidem in libris contra Faustum, circiter annum quadringentesimum conscriptis, locum ex eo quemdam de Aegyptiis per Hebræos Dei jussu expoliatis commemorat in hæc verba: Quid præfiguraverit, jam in quibusdam libris, quos de Doctrina Christiana prænotavi, quantum mihi tunc occurrit, me recolo posuisse. Postmodam verò recognoscens opuscula sua, cum imperfectum illud comperisset, prius absolere voluit,

Lib. 22.
cont. Faustum c. 91.

luit, quàm ad alia retractanda gradum faceret: tuncque non modò librum tertium complevit, sed etiam quartum adjecit, anno à sua in Mauritaniam Cæsareensem profectione circiter octavo, id est, Christi 426. aut 427. quemadmodùm hîc ad ejusdem 4. libri, caput 24. observamus.

Librorum autem argumenta hæc sunt. In primo quidem libro facta operis partitione, suscipitur tractatio de rebus: quibus explicatis, docetur Legis, & omnium divinarum Scripturarum plenitudinem ac finem esse dilectionem rei qua fruendum est, & rei quæ nobiscum ea re frui potest, id est, Dei & proximi.

In 2. libro de signis verbisque Scripturæ sacræ disputatur. Quoniam verò hujus sensus plerùmque aut præ signorum ignorantia, aut præ eorum ambiguitate non percipitur; idèd prolato in primis divinorum librorum canone, declarare pergit Augustinus, quarumnam potissimùm linguarum peritia, quænamvè disciplinæ ac scientiæ conferant ad illam signorum ignorantiam removendam. Ubi data occasione de repudiandis superstitiosis artibus agit. Quemadmodùm etiam animo comparatus is esse debeat, qui operam studio Scripturarum navaturus sit, declarat sub initium, & ad finem libri.

In 3. libro transit S. Doctor ad considerationem ambiguitatis, quæ cum in propriis, tum in translatis signis occurrere potest: discutit sedulò quibus ex fontibus oriatur isthæc ambiguitas, quæve ratione possit auferri. Hinc tradit regulas, quibus dignoscatur an locutio figurata sit; & si quidem figurata, quo pacto debeat explicari. Tim

ip-

ipsius Tichonii septem Regulas singulatim expendit.

Hactenus de investigando Scripturæ sensu. Jam autem in 4. libro tractat de disserendo, ibique partes, & officia Christiani Oratoris persequitur; cui sacrarum litterarum auctores, & doctores ecclesiasticos imitandos proponit, ex eorum scriptis sanæ eloquentiæ exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremò ipsum Ecclesiastem hortatur, ut in primis orationi det operam, & quod verbis docet alios, id omnino vita, & moribus exhibeat.

Hoc ipsum opus olim Angilbertus Corbeia Abbas in usum Ludovici Francorum Regis, fratris Carolomani, describi curavit, uti contestantur versus in Corbeiensis codicis fronte præfixi, in quibus hi præter alios leguntur:

Hunc Abbas humilis jussit fabricare libellum

Angilbertus enim villis, & exiguis:

Quem daret ille pio caelesti numine fulto
Hlodoico Regi, qui est pius atque
humilis.

LIBRI II. RETRACT.

CAPUT IV.

1. **L**ibros de Doctrina Christiana cum imperfectos comperissem, perficere malui, quam eis sic relictis ad alia retractanda transire. Complevi ergo tertium, qui scriptus fuerat usque ad eum locum * ubi commemoratum est ex Evangelio testimonium de muliere, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinae, donec fermentaretur totum. Addidi etiam novissimum librum, & quatuor libris opus illud implevi: quorum primi tres adjuvant ut Scripturæ intelligantur, quartus autem quomodo quæ intelligimus proferenda sint.

* Cap. 25.
Luc. 13.
21.

Cap. 8.

2. In secundo sanè libro de auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Jesus Sirach scripserit, non ita constare, sicut à me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi non esse hunc ejus libri auctorem. Ubi autem dixi: *His XLIV. libris Testamenti veteris terminatur auctoritas*; ex consuetudine qua jam loquitur Ecclesia, vetus Testamentum appellavi: Apostolus autem non videtur appellare vetus Testamentum, nisi quod datum est in monte Sina. Et in eo quod dixi: *De temporum historia sanctum Ambrosium solvisse questionem*, tamquam coetanei fuerint Plato, & Jeremias, me fefellit memoria. Nam quid ille de hac re episcopus dixerit, in libro ejus legitur, quem de sacramentis, sive de philosophia scripsit. Hoc opus sic incipit: *Sunt præcepta quædam.*

Galat. 4.

24.

Cap. 28.

S.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE DOCTRINA CHRISTIANA
LIBRI QUATUOR.*

PROLOGUS.

1. **S**unt præcepta quædam tractandarum Scripturarum, quæ studiosis earum video non incommodè posse tradi; ut non solum legendo alios qui divinarum litterarum opera aperuerunt, sed & aliis ipsi aperiendo proficiant. Hæc tradere institui volentibus, & valentibus discere, si Deus ac Dominus noster ea, quæ de hac re cogitanti solet suggerere, etiam scribenti mihi non deneget. Quod antequam exordiar, videtur mihi respondendum esse his qui hæc reprehensuri sunt, aut reprehensuri essent, si eos non antè placaremus. Quod si nonnulli etiam post ista reprehenderit, saltem alios non movebunt, nec ab utili studio ad imperitiæ pigritiam revocabunt, quos movere possent, nisi præmunitos præparatosque invenirent.

2. Quidam enim reprehensuri sunt hoc opus nostrum, cum ea quæ præcepturi sumus non intellexerint. Quidam verò cum intellectis uti voluerint, conatque fuerint Scripturas divinas secundum hæc præcepta tractare,

* Inchoati circiter Christi annum 397. absoluti sub an. 426.

Doctrinam de Scriptura tractanda haud superfluum tradi.